



LIGNI QUASSIÆ

EXAMEN

10

PRO LICENTIA

GRADUM , HONORES ATQUE PRIVILEGIA
DOCTORUM MEDICINÆ

RITE IMPETRANDA

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

PROPONIT

D. XXVI. SEPTEMBRIS MDCC LXXII.

PETRUS MICHAELIS PAARMANN

LUBECENSIS

H. L. Q. C.



ARGENTORATI ex Officina JONÆ LORENZ, Typogr.

Nomen rationalis & veri Medici qui tueri vult , eclecticum
potius agere decet , quam in verba alicujus jurare , ac
opinionibus cuiusdam addictum esse.

LINNÆUS *de Sapore Medicamentorum*
Amœn. Acad. T. II. p. 367.



S. I.
INTROITUS.

INNOVANDI cupid & inclarescendi
æstuans ardor, qui in medendi ar-
tem introduxit diversissimam sæpe
medicinam, ut facem accedit non raro compluri-
bus Medicinæ partibus, novaque nobis & summa
æstumatione digna remedia præbuit, sic & sæpe ir-
ritum fuisse, imo noxiā fœcundamque pravorum
tentaminum matrem apud omnes est in confessio.
Quod ut eo intimius pateat, rogamus benevolem
lecto-

lectorem, ut seposita ira & studio perlustret atque expendat tot, quæ quotannis ex omnibus terræ plagiis in medendi artem introducuntur remedia, quibus interim nec morborum imminuitur sæva tirannis, nec major eas curandi exsurgit facilitas.

Sic auspicantes, crederes forsan, nos jactabundas cujusdam soterii fontis, aut specifici cujusdam contra hos illosve morbos laudes in suos cancellos reducere velle; sed aliorum edocti exemplo omnium horum cum tot aliis fortem communem prævidemus, eumque adeo minus inevitabilem, cum quid de pluribus specificis statuendum sit, nec tiro Medicinæ ignorare posfit. Altiora hinc petimus, argumentumque eligimus, præceptis quæ a tanti nominis Præceptoribus accepimus potius dignum, quam viribus nostris ad æquatum. Novum quippe quoddam remedium examinare audemus, quod virtute non æquiparare solum, sed longe antecellere Peruvianum Corticem ajunt.

Est hoc remedium *Quassia lignum*, quod decem ante annos ex America in Europam delatum
a Cel.

a Cel. LINNÆO primo (a) descriptum & tanti Viri
laudibus maëstatum, omnium hodie Medicorum atten-
tionem in se rapit.

§. II.

HISTORIA.

Surinamensem regionem quæ est portio Gujanæ,
tractus Amazonum in America Meridionali sub
6° longitudinis & 4° latitudinis borealis sita, (nam
& historiam hujus remedii referre decet,) primam
eius efficaces virtutes expertam esse legitur apud
BLOM (b) in Diff. Præside Cel. LINNÆO habita, idque
contra exasperantes putridas febres, eo magis huic
coloniæ communes, quo exurentibus calidis solis radiis
propior, fermentationi putridæ omnis generis ma-
jorem materiem præbet. Ex eodem quoque fonte
haurimus, quod servus nigrita *Quassi* nomine omnium
primus inter contubernales suos, ejus ope tanto
cum successu fecerit pericula, ut & Domini in ejus
remedio salutem petere non recusarint.

Sed, summo studio servus celavit arborem
unde desumxit lignum, ita, ut nil nisi amor &
A 3 obser-

(a) Amœn. Acad. T. VI. p. 416.

(b) l. c.



observantia in Nobiliss. Dominum DAHLBERG
Militum Protribunum in cuius socrus domo ser-
viebat eum potuerit impellere ut ei salutife-
ram arborem detegeret. Hujus tunc tandem per-
illustris Viri cura pervenit arcanum ad Cel. LINNÆUM,
qui inventoris in honorem arborem *Quassiam* vocavit.

§. III.

LIGNI DESCRIPTIO.

Afferuntur ad nos sub *Quassiae ligni* nomine ,
frusta ex radice desumpta & longitudine & crassitie
insigniter variantia , satis ponderosa. Tecta , cor-
tice ex gryseo albo , fissuris nonnunquam exulce-
rato , qui tenuis est & cuius superficies interna &
albescit & splendescit. Lignum ipsum album est &
non nisi exsiccatione flavicat. In tenues lamellas
facile dividi potest. Cohæret medulla cum albur-
no , nullo modo ab eo distinguenda.

Odor tam corticis , quam ligni nullus percipi-
tur. Sapor quam maxime penetrans & amarus est,
ita, ut magis amarum nil possit excogitari. Quod
vero & gratam amaritatem & stiptici nauseosi ab-

sentiam

sentiam attinet, in quo cortici Chinæ præferri meretur, ut ajunt, id ego saltem nec in cortice Peru-viano nec in Quassia ligno experiri potui; destitu-tus forsan organo gustus adeo exquisito, quo illi Viri excelluere.

§. IV.

Descriptioni huic plane non congruum ligni fragmentum in suo musæo reservat *Celeber. SPIEL-MANN*, *Præceptor omni honoris cultu prosequendus*, quod batavus aromatopola remediorum exoticorum curiosus indagator tanquam solum verum & ge-nuinum, in amicitia singulare symbolum ei misit.

Est hocce lignum, coloris multo profundioris, id est, cortex ex cinereo rufescit & lignum multo magis cinereum est, quam id quod antea descripsi; eo præterea sese adhuc distinguit, quod cortex verrucis evidenter flavis notatus, lignum multis foraminulis perforatum sit ubique & quod meditullium ab alburno perfecte separatum conspicatur. Odor nec in hoc frusto percipitur, sapor amarus multo minor observatur.

Quod-

Quodnam ergo Quassia lignum verum? non dubitamus prius huic præferre, cum magis conveneriat cum LINNÆANA (c) descriptione, de cuius veritate nulli possumus dubitare, cum ad eum primum allatum fuerit, cumque ipsam arborem multis abhinc annis in *Horto Upsaliensi* colat. Omnes præterea qui de Quassia scripsere autores (d) eam uti nos paragrapho superiore describunt.

Sed

(c) l. c.

(d) Scripsere de Quassia autores, omnium primus *Ill. LINNÆUS* in *Amoen. Acad.* T. VI. anno 1763. Cel. TISSOTUS post hunc 1768. in suo tractatu de la santé des gens de lettres. Eodem anno ipsissima LINNÆI verba in linguam gallicam versa inseruit BUCHOZ, *Gazette salutaire* 1768. N°. 48. Omni aestimatione dignum est judicium quod in *VALMONT DE BOMARE Dictionnaire raisonné universel d'histoire naturelle* T. IX. 1769. occurrit. Nec contemnendi duo tractatus de hoc remedio reperiundi in *Berlinischen Sammlungen* anni 1770. quorum prior *Exper. SCHLEGERO* debetur novisque observationibus suis sese commendat; posterior *Exp. SCHRADERI* est. De Quassia quoque verba injicit Cel. GESNERUS in *Samml. von Betracht. aus der Arzneigelahr. und Naturkunde. Nördlingæ* 1771. Huic coætanea est *Pharmacopœa Helvetica*. Basileæ 1771. impressa de Quassia quoque verba faciens; judicium quod de ea fertur in *Præfatione magnum suum autorem redolet*, & in ipso tractatu p. 143. occurrit aliqua circa Quassiam analysis chemica. Novissime de ea loquitur *Tomus XIII. Encyclopædie Oeconomique* ad litteram Q. En omnes qui ad nostram cognitionem pervenere autores!

Sed annon hocce lignum, est illud ipsum de quo loquitur SCHLEGER (*e*) & de quo refert, quod id jam quadraginta ante annos in *Museo SEBAIANO* viderit aliquis Medicus ex suis amicis & qui tunc jam eosdem ei effectus fuisse tributos afferuit? Eo id magis videtur probabile, cum *Vir Clarissimus* a quo *Venerandus Praeceptor* id accepit, sibi comparaverit promptuarium Sebaianum, & nil sit quod nobis impedit credere, id sic fuisse factum, præcipue cum teste Ill. HALLERO (*f*) triginta jam ante annos notum fuerit hocce lignum Surinamensibus.

In re tam incerta atque ambigua nil tamen statuere certi audemus, cum nec in *Thesauri Sebaiani descriptione* (*g*), nec in alio ullo autore, quantum quidem novimus usque ad LINNÆUM (*h*), de hocce ligno aliquid occurrat.

§. V.

CHARACTER BOTANICUS.

Arboris sequentem dat LINNÆUS (*i*) descriptio-
nem

(*e*) *l. c.*

(*f*) *Praef. ad Pharmac. Helv.* p. 10.

(*g*) *Thesaur. Rer. natural. Amst.* 1734.

(*i*) p. 421. *l. c.*

(*h*) *l. c.*

nem, eamque partim ex florum racemo , fructu & foliis in spiritu vini conservatis , ab Ill. DAHLBERG sibi missis ; quæ enim in Europam pervenere arbores nunquam flores protulere : partim ex arboribus quam multis abhinc annis Upsaliensis Hortus colit. Et conclusit *Vir illuſtris* illam ad *Decandras Monogynas* referendam esse, flore pentapetalо regulari præditam, calice pentaphyllo, brevissimo, foliolis ovatis instructo; nectario gaudens, quod squammæ quinque ovatæ, villosæ, basi filamentorum insertæ efformant; fructus constituitur a 5 capsulis ovatis, receptaculo carnoso, orbiculato insertis, quarum singulæ semen unicum globosum includunt.

Caulis teres est & cinereus, ramulis ultimis viridis punctis impalpabilibus albis adspersis.

Folia pinnata sunt, alterna, petiolata, patentia. Petioli spithamei sunt, marginati, membrana latiuscula contracta prope folia, terminati dein in mucronem mollem subulatum pubescentem.

Foliola trijuga seu *quadrijuga* sunt, sessilia, acuminata, lævia, glabra, digitæ longitudine

gitudine, duorum pollicum latitudine, color viridis est, hyeme decidunt. Accedunt folia ad figuram lanceolato-ovalem integerima & accuminata sunt.

Fructu capsulis quinque receptaculo carnoso insidentibus efformato ab omnibus reliquis generibus sub *Decandria monogynia* comprehensis differt.

Jure ergo LINNÆUS novo huic arborum generi, novum nomen dedit, cum a *Zygophyllo* quocum a Dno. ROLANDER (*k*) confundebatur fructu evidenter differat & nonnisi externam cum *Sapindis* formam habeat, pro cuius specie habebatur a Cel. LINNÆO (*l*) antequam fructificationem vidisset.

Secundum ordinem naturalem ad *Zizyphos* ADANSONII (*m*) ad *Gruinales* LINNÆI (*n*) refertur; num autem hæ Illust^r. Autorum classes sint vere naturales mihi saltem non liquet.

§. VI.

MODUS AGENDI DETERMINATUR.

Quæritur nunc, quomodo agat *Quassia lignum?*

B 2

Diffici-

(*k*) v. LINNEI l. c.

(*l*) Ibid.

(*m*) Fam. des Plantes. T. II. p. 332.

(*n*) Ord. Natur. N. XIV.

Difficilis quæstio , si deposito omni autoritatis præ-judicio eam decidere juvenis debet; tentabimus ta-men & ingenuitatis potius , quam profundæ do-trinæ specimen inaugurale sistemus.

Vario modo artis Machaoniæ cultores incessere pro detegendis variorum corporum naturalium qua-litatibus.

Prima statim astrologorum , signatorumque ri-dicula cohors , ex varia externæ figuræ analogia , stellarumque influxu ad vires corporum concludens, eviluit hodie adeo , ut se risui exponeret , qui refutare eos vellet.

Non adeo contempnendi sunt Empirici. Solis ex-perimentis hi sua superstruxere dogmata , nec potest *Cel. BRUNNERI* (o) effatum negari , quando dicit : » Plus contulisse barbaros ad augmentum medici-næ , quam omnium ætatum scholas , " & ejus mentis fuisse *Cel. TOURNEFORTIUM* (p) docent hæc ejus verba : » tout le travail des hommes n'a » encore rien produit de si assuré , que deux ou » trois

(o) *de Gland.* p. 149.

(p) *Pref. Hist. Pl. Paris.*

» trois drogues que les sauvages trouvent dans
» le bois. »

Botanicorum systematicorum ad quos licet pertineant magni nominis Viri, methodum eruendi virtutes corporum naturalium sequi non licet, cum vel evidenter falsum sit, omnibus alicujus generis speciebus competere easdem facultates; vel cum classes naturales vel ipso LINNÆO (*q*) non negante inventæ nondum sint.

Cum in » *gustu*, ut ait GALENUS (*r*) omnes si-
» militer gustabilium corporum particulæ in linguam
» incident, sensumque movent pro sua natura fin-
» gulæ; » hinc cum eo, ex effectu quem corpora
in linguam exferunt, ad eum quem in corpore
edent concludimus.

At non ignoramus simul, quam insufficiens sit &
hæcce methodus, & probe scimus, quod extent sæ-
pe in corporibus naturalibus tales qualitates, quas
solus gustus non dat detegere, Colocynthidis, Arse-
B 3 nici

(*q*) *Amœnit. Acad. T. I. de viribus Plantar.* p. 421.

(*r*) *de simpl. Med. fac. L. IV. Cap. 22.* Usi sumus Editione Venetiis
edita Anno 1542.

nici, Saturninorum exemplo; hinc consultum fore
duximus colligere ex omnibus, qui abhinc LINNÆO
de *Quassia* scripsere, autoribus quæcunque de ejus
virtute medica notarunt observata omnia, ut sic
casto ratiocinio, quodnam de hocce ligno feren-
dum judicium sit, & nec in laude, nec in vitupe-
rio excedens eruamus. » Optimum sane est, teste
GALENO (s), »per experientiam discretam facul-
» tates invenire, in hac enim falli non potest,
» quamquam priusquam experientia virtutem agno-
» scas, gustus pleraque indicat. »

Chemici tandem etiam sua arte qualitates me-
dicamentorum detegere annisi sunt; sed quis Me-
dicorum in sua arte adeo est rudis? ut credat,
quæ magna ignis vi extricantur principia, ea pa-
riter & a nostra natura posse expelli. Nonne con-
stat præterea omnes omnino plantas, si eas, quæ
ad *Tetradynamiam* pertinent & paucas alias excipis,
dum igne urgentur, eadem producta sistere? No-
tissima simul & verissima sunt Ill. CHOMELII (t)
verba: » Près de deux mille Analyses de Plantes
» diffe-

(s) l. c.

(t) *Abregé des Plantes Usuelles. Discours Prelim.* XXXVII.

» différentes faites par les Chymistes de l'Acade-
 » mie Royale des Sciences ne nous ont appris au-
 » tre chose , si non qu'on tire de tous les végé-
 » taux une certaine quantité de liqueurs acides ;
 » plus ou moins d'huile essentielle ou fœtide ; de
 » sel fixe , volatile ou concret ; de phlegme insi-
 » pide & de terre ; & souvent presque les mêmes
 » principes & en même quantité des Plantes dont
 » les vertus sont très-différentes : ainsi ce travail
 » très-long & très-pénible a été une tentative in-
 » utile pour la découverte des effets des Plantes , &
 » n'a servi qu'à nous détronger des préjugés qu'on
 » pourroit avoir sur les avantages de ces Analyses . ”

§. VII.

ANALYSIS CHEMICA.

Addimus hic Chemicam analysin , non ad
 eruendas Quassiae virtutes , sed ut quænam ejus
 pars sit actuosa , & quænam iners & qua-
 ratione utraque obtineat declaretur . Ean-
 dem ante nos jamjam operam navavit *Cel. SCHLE-*
GER (u) obtinuit ille ex Quassiae drachmis sex ,
 extracti

(u) Berlin, Samml. T. II, p. 157.

extracti aquosi Grossum unum; nobis hac ex parte felicior, qui post septies repetitam coctionem unciæ Quassiae integræ, qua tandem aqua nec ulterius flavo tingebatur colore, nec amaro imbuebatur sapore, non potuimus extricare plus quam drachmam diuidiam cum octo & viginti grānis; differentia & a vario gradu, ad quem inspissatio protracta est, & a diversa ratione ponderis Berolinensis cum nostro forte petenda. Est hocce quod accepimus extractum aquosum, amaritudinis qua nihil penetrantius cogitari potest, consistentiæ pulverulentæ, humidiusculæ, cum aquam ex aëre eripiat, colore ex badio viridi tinctum. In *Pharmacopœa Helvetica* (x) occurrit ratio extracti, quod vini ope obtinetur, id cum præter partes gummosas etiam aliquid resino-sarum foveat, nec non tartareaς & quæ aliæ vino insunt, hinc nostro scopo minus respondet.

Pro extracto resinoso obtinendo affudimus reliquo ab extracto gummoso, ligno spiritum vini, qui digestus cum eo usque dum & color & sapor amarus disparuit, & abstractus dein dedit Extracti resinosi

(x) *Basil.* 1771. p. 143.

refinosi secundarii grana octodecim, coloris fusci, consistentiae massæ pillularum, saporis amarissimi sed ad amaritatem extracti aquosí non accendentis.

Quo accuratius sit nostrum examen, recentis Quassia unciam unam quoque digestioni cum spiritu vini exposuimus, eaque aliquoties repetita, donec nempe omnem resinam solutam esse & gustus & color suspicari jussent, obtinuimus post spiritus vini abstractionem grana novemdecim, extracti refinosi primi coloris badii, consistentiae pulverulentæ & saporis amarissimi.

Num forte hocce lignum oleum quoddam æthereum contineat, humida eruere distillatione tentavimus, sed ejus absentiam, successus coincidens cum illa, quam *Cel. SCHLEGER* (*y*) instituit, experientia demonstravit.

S. VIII.

AMARA INTENDUNT VIM CORDIS ET ARTERIARUM.

Amara intendere vim cordis & arteriarum, innumeris observationibus omne probavit ævum. » *Omnia C amara*

(*y*) l. c.

amara esse calida" jamjam pronunciavit GALENUS (*a*)
nec id mirum, cum linguæ imposita ejus folliculos
ad frequentiores contractiones stimulent.

Sciunt omnes, præcipuam cordis arteriarumque
actionem a nervorum functione & muscularium
fibrarum propria vi contractili pendere, stimulus ergo
quoscunque, hinc & amara actionem partium &
cum ea circulum sanguinis intendere. Nulli ergo
miramur, quod Quassia observante *Exp.* SCHLE-
GER (*b*) in sudoribus nocturnis tabidorum profue-
rit, primum sudorum foetorem correxerit, dein ipsam
eorum excretionem sustulerit, sine idcirco aucta fe-
bre, tussi, sputo. Nam vel pulmonis ulcus velis
abstergere, mechanico modo per fortiores circula-
tiones; vel resistere illi humorum degeneratio-
ni, quæ a pure in sanguinem resorpto producitur;
vel tandem vasa cutanea debilitata & hinc sudorem
transmittentia velis roborare, certe nostrum lignum
non potuit non esse utile, cum & circulationem
intendat, & antisepticum sit, ut infra patebit, &
deb-

(*a*) de Simpl. Med. Fac. Lib. IV. Cap. 6. p. 692.

(*b*) Berlin, Samml. 1770. T. II. p. 160.

debilitati vasorum occurrat: his præterea roboratis
ingesta nociva non modo præparantur & excernuntur,
sed & nutrimenta plus excoquuntur, & in no-
stram naturam vertuntur. En magni HOFFMANNI (*c*)
verba: » Amarorum maxima in promovendo chy-
» lificationis negotio virtus est, dum acorem ob-
» tundunt, viscidum abstergunt, & alvinas excre-
» tiones insigniter adjuvant. " De vi solvendi ama-
ri, quam & in hoc casu manifestavit lignum nostrum
Quassiae, hujus loci non est differere, id modo ad-
dere liceat, de quo fusius etiam infra loquemur,
quod nempe sudor foetidus non debuerit non cedere
medicamento, quod evidenter antiputridum est.

Nimiam salivationem, quam *Cel. SCHLEGER* (*d*)
ope hujus remedii stitit non miramur, si considera-
mus nimis dissolutos humores, (inde enim provenit
salivatio) laxitatem induisse vasis & hinc omnia,
quæ tonum restituunt, potuisse nimiæ huic excretioni
succurrere.

Huc & pertinet diabetes ætate confecti, de quo
loquitur idem (*e*) a laxitate vasorum renalium orta

C 2

&

(c) *Systema Med. Rat.* Tom. I. p. 467.

(d) *I. c. pag. cit.*

(e) *I. c. pag. cit.*

& Quassia ope correcta, contra quam & *III. VAN SWIETEN* (*f*) commendat, quæcunque vasa renalia roborant.

Nec hic reticere deceret LINNÆANAM (*g*) observationem, qua Quassia ope retrorsum ad pectus & abdomen podagram feliciter curavit; vel enim tantam materiæ copiam adfuisse velis, ut omnis in solitos articulos determinari non potuerit; vel admittas cor adeo debile, ut ad remotissimos articulos materiam propellere non potuerit; vel viscus laxitate peccans, ad quod materies tanquam ad minus resistentem partem ruerit; quid Quassia efficacius exhiberi potuit, remedio & cor & arterias stimulante, remedio evidenter & tonico & maxime ad attenuandam podagrericam materiam apto, ut inferius dicetur.

§. IX.

QUASSIA DEBILIS VENTRICULI TONUM RESTITUIT.

Stimulandi vis, quam amara exercent in linguam, quam & cor & arterias experiri (*h*) evicimus, & in ventri-

(*f*) *Comm. in Boerh. Aph. T. II. p. 274.*

(*g*) *I. c.* (*h*) *Paragraph. præced.*

ventriculo & in intestinis debere suas agere partes evidens est, hinc semper ad tonica amara sunt allata & stomacho ab omni tempore dicata. En *Cel. LINNÆI* (i) de amarorum virtute sententia : » Amara » in solida agunt roborando, hinc tonica vocantur : » stomachica sunt, appetitum augent, digestionem » promovent, nauseam tollunt. »

Eadem nunc vi pollere Quassiam & ex antecedentibus inferri potest, & per omnium, qui hactenus de ea scripsere, autorum experimenta patet. Anno 1763 ejus statim usum cum vix esset detecta exper- tum esse LINNÆUM (k) in colica nulli remedio cedenti legimus ; digna sunt TISSOTI (l) verba, quæ apponantur : » Les experiences, que j'ai fait m'ont » persuadé que ce nouveau bois est peut-être su- » périeur au Kina quand il s'agit de redonner de » la force à un estomac affaibli, de retablir les di- » gestions, de dissiper des flatulences, de remedier » à des constipations qui viennent de foiblesse, ce » qui le rend très utile aux Gens des Lettres ; » &

(i) *Amœn. Acad.* T. II. p. 382.

(k) *Amœn. Acad.* T. VI. p. 428.

(l) *la santé des Gens de Lettres* p. 224.

coïncidunt cum his verba, quæ in VALMONT DE BOMARE *Dic̄l. univ. d'Hist. Nat.* (*m*) occurrunt : „fa grande amertume me fait croire, que c'est un très bon stomachique, qui pourra être utile dans la medecine.“ Idem loquuntur *Exp. SCHRADER* (*n*) & *Ill. GESNER* (*o*). Efficacem hanc Quassiae tonum restituendi virtutem quoque *SCHLEGER* (*p*) in virgine fluore albo benigno affecta expertus est, quæ simul vomitu vexabatur & appetitu plane prostrato laborabat, nec id mirum cum hoc remedium & visciditates, ut vidiimus, attenuet & obstruktiones tollat, communes fluoris albi benigni fontes. Huc & pertinet ejus effectus in debilitate maxima post dysenteriam superstite quo usus in semetipso feliciter *Illuſtr. HALLERUS* (*q*) est.

§. X.

AMARA QUASSIA RESOLVIT.

Quam mox cor, arteriasque stimulantem vidi-
mus Quassiam, quam tonicam, atque roborantem mox
confi-

(*m*) T. IX. p. 419.

(*n*) Berlin. Samml. T. II. p. 174.

(*o*) Samml. von Beitr. aus der Arzneygel. und Naturkunde, Nœrdl. 1771. T. II.

(*p*) Berlin. Samml. T. II. p. 161.

(*q*) Praef. ad Pharm. Helv. p. 10.

consideravimus, eam in fluida resolvendo agere nunc demonstrabimus, & quod omnis Medicorum Græcorum schola uno ore clamavit, explicare tentabimus.
 „ Amaritudo, inquit GALENUS (r) ipsa sua natura
 „ crassa ac lenta incidit, crassitieii aversatur, ” &
 „ alio loco (s) „ Amarum meatus purgat, abstergit,
 „ extenuat, incidit humorum crassitiem.” Idem
 ORIBASIU (t), ÆGINETA (u), AETIUS (x), iisdem
 fere verbis dixerunt.

Resolvendi vii pollent ea corpora, quæ humoribus applicata, eis majorem fluiditatem conciliant. Fit illud, docente Pathologia, vel partes aquosas interponendo inter partes crassamenti, vel irritando solida, id est augendo eorum vim in fluida, unde minus crassamenti partes se se attrahere possunt, vel propria quadam qualitate, quæ eadem est, cum viribus menstruorum, spissamenti partium nexum debilitando & tollendo; sed amara intendere vim cordis & arteriarum supra est evictum, quod propria qualitate pene-

(r) de Alim. Fac. L. II. C. 66.

(s) de simpl. Med. Fac. L. V. C. 25.

(t) Medic. Collect. Lib. XIV. Cap. V.

(u) de re Medica Lib. VII. Cap. I.

(x) Tetrabil. I. Serm. I. p. 5.

penetrent in cohærentes fluidorum partes, omnium seculorum observatione fundatur, & ulterius patet, ex eo quod natura sua accedant ad faliūm indolem; & uti jamjam dixit AETIUS (y) „Propinquus amaro sit salsus sapor, „quodque deficienti inertive bili semper substituantur amara & teste LINNÆO (z) amara sua amaritie accedant ad bilem.

Rebus ita constitutis, nonne Quassia amara omni jure ad resolventia relata est, & ab Ill. SCHLEGERO (a) cum successu data in Arthriticis podagricis que doloribus, ut & in lue venerea, totidem morbis ab humorum nimia densitate oriundis, una cum ligno Quajaco, Sarsaparilla & Mercurialibus præparatis; certe non ignoravit LINNÆI (b) circa amara effatum, quando dicit: „Amara, morbis qui acido „foventur, uti arthritis, Querquera, inserviunt.“ Insignem ejus contra podagricos dolores effectum demonstrat quoque observatio a Cel. VALMONT DE BOMAR suo *Dictionario* quod *Dictionnaire raisonné d'Hist. Nat.* vocat (c) inserta.

Eandem

(y) *L. c.* (z) *Amœn. Academ.* T. II. p. 383.

(a) *L. c.* p. 162. (b) *L. c.* (c) *T. IX.* p. 419.

Eandem resolvendi vim Quassiae, cum omnibus reliquis amaris communem, manifestam experta etiam est omnis morborum cohors, ab obstructionibus in in systemate Venæ Portarum & vasorum Mesaraicorum ortum ducens, uti apoplexia symptomatica, de qua loquitur SCHLEGER (*d*), hydrops cuius *idem (e)* facit mentionem, Colica (*f*) ab hæmorrhoidibus vesicæ proveniens, quam febris comitata est, & multæ febres, quas specifice curavisse aiunt, de qua autem re plura proferemus infra. Novit etiam hanc Quassiae virtutem Cl. GESNER (*g*) contra obstructions eam commendans. Quod vero amara præcipue obstructions abdominis sint dicata, GALENI (*h*), hæc verba testantur: “amara lienem, jecur, „renes, expurgant &c.” & alio loco (*i*). “A-„mara abstergunt & expurgant in jecinore obstruc-„tiones.” Ipse præterea LINNÆUS (*k*) “Amara Hypo-„chondriasi, hydropi” inservire asserit.

D

VIS

(*d*) *I. c.* pag. 162.

(*e*) *I. c.* p. 161.

(*f*) Linnei *Amanit. Acad.* T. VI. p. 428. *Observ.* 3.

(*g*) *Sammel. v. Betracht. aus der Medic. und Naturk.* 1771.

(*h*) *de simpl. alim. fac.* L. VIII.

(*i*) *de simpl. Med. fac.* L. V. Cap. II.

(*k*) *Amanit. Acad.* T. II. p. 383.

VIS QUASSIÆ ANTHELMINTICA.

Plantas amaras in auferendis vermibus insigni facultate esse præditas, nemo unquam Medicorum in dubium vocavit. In modo vero quo sunt vermibus adversæ non adeo consentiunt.

Multi veterum Græciæ (*l*) Medicorum affectæ ab iis necari vermes asseruerunt. Sed negat id *ILL. VAN SWIETEN* (*m*), cum reperiantur vermes in duodenō intestino, in quod per ductum communem depluit amarissima bilis, cum etiam visi sint vermes in hepate, bilis officina, & in ipsa cystide fellea ovis (*n*). Evicere præterea Experientissimorum *TORTI* (*o*) & *COULET* (*p*) instituta tentamina, nullum inveniri liquidum, adeo amarum quod amaritie sua vermes extinguere posset: immo ex opposito, eos semper & vivaciores & vegetiores in talibus liquidis fieri.

Hinc

(*l*) *GALENUS* ait: "Amaritudine necantur lumbrici." *de simpl. Alim. facul. L. VI.* &c. & "Amara nequaquam vermes & alia animalia gignere" *AETIUS* asserit. *Tetrabil. I. Serm. I.* p. 5.

(*m*) *Comment. in Boerh. Aph.* T. IV. §. 1371. p. 730.

(*n*) *le CLERC Hist. Lumbr. lat.* p. 94.

(*o*) *Therap. spec. Febr.* L. V. C. 6. p. 305. & 308.

(*p*) *Tract. de Ascari. & Lumbr. lat.* p. 32. 33.

Hinc cum *Ill. VAN SWIETEN* (*q*) vim anthelmin-
ticam amaræ nostræ Quassiaæ potius inde d'educimus,
quod mucum peccantem, eorum nidum & corrigat,
& ejus ortui resistat, idque tam roborando viscera pri-
mæ coctionis & leucophlegmaticam corporis cache-
xiām, quæ verminosis favet, emendando quam vi
sua resolvente mucum attenuando. Hancque op-
inionem eo lubentius amplectimur, cum hac ratione
non opus sit ad aliquod vaporosum principium recur-
rere a quo *Ill. ROSÉN VON ROSENSTEIN* (*r*) virtu-
tem anthelminticam quorundam amarorum deduxit.

Quam mox per theoriam evicimus Quassiaæ vir-
tutem, experientia confirmatam licet Chinæ inferio-
rem legimus in egregio *TISSOT* tractatu *de la Sante*
des Gens de Lettres (*s*).

§. XII.

QUASSIA EST ANTISEPTICUM.

Prætereunda nobis non est amarorum ea qualitas,
qua motui destructorio corporum sive ille a putrefa-

D 2 etione,

(*q*) *I. c.* p. 729.

(*r*) *von den Kinderkrankheiten*, p. 413. & 435.

(*s*) p. 224.

ctione , sive a fermentatione procedat resistunt, lateat licet modus, quo huic motui se se opponunt. Qualitas omni ævo nota & recentioribus temporibus extra omne dubium posita. Respondent quippe *Illustr. PRINGLII* (t) & *Cl. MACKBRIDE* (u) evidentissima observata assertis *GALENI* (x) dicentis: « Minime » omnium amara putrescunt, » & *AETII* (y) idem pronunciantis: « Ægerrime amara putrescunt. »

Quale amarorum principium tanta præditum sit virtute, non est hujus loci examinare ; id modo adjiciamus, Quassiam nostram & hoc respectu amarorum qualitatibus gaudere, easque tam in experimentis probasse, quæ mox adducemus, quam in morbis, qui somitem putrem pro caufa agnoscunt.

Endemiæ Surinamensium febres, quas specifice, ut credidere, curavit nostra Quassia teste *Cel. LINNAEO* (z) & unde primam nominis famam duxit, *huc certe referri merentur, idque eo magis cum hancce*

(t) Appendix ad *Observation on the Diseases of the armes.* London 1764.

(u) *Versuche.* Zürch. 1766,

(x) *dē simpl. Med. Fac.* L. IV. C. 20.

(y) *Tetrabibl. I. Serm. I.* p. 5.

(z) *I. c.* p. 420.

hancce gloriam etiam in aliis a putri fomite sustenta-
tis morbis probaverit. Diarrhoeæ colliquativæ, fe-
bresque putridæ, quas hoc lignum teste SCHLEGER
(*) sustulit, hujus loci sunt & videtur sane nostrum
medicamentum in his morbis eo magis laudandum,
cum non modo vi evidenter antiseptica ulteriori
corruptioni resistat, insignem virium torporem indivi-
duum putridarum febrium comitem etiam tollat & sic
naturam & ferendo & superando morbo parem
reddat.

§. XIII.

EXPERIMENTA CUM QUASSIA INSTITUTA.

Quo vis Quassiae antiseptica magis pateret, &
quo certiores evaderemus, qua ratione eadem illam
qua Cortex Chinæ gaudet, sive vincat, sive æquet,
sive sequatur, sanguinem bovinum, carnem bovi-
nam, lac vaccinum, Oleum Olivarum, Axungia-
m Porcinam, Vinum cum duplo aquæ in qua Quassia
per tempus infusa erat, suboctuplo Quassiae in pul-
verem redactæ, duplo infusi Corticis Chinæ cum

D 3 aqua

(*) L. c. p. 162.

aqua facti, & octava eorum ponderis parte Corticis Chinæ in pulverem comminuti, eodem tempore & in eodem conclavi per duos continuos menses detinuimus, junximus quoque de singulis substantiis portionem, cui nihil erat adjectum, ut pateret, quid patiantur per se, quomodo per Quassiam & Corticem Chinæ contra corruptionem, in quam ex sua natura ruunt defendantur, num hæc ambo in substantia adhibita majorem efficaciam habeant, quam eorundem principia quæ aquam subeunt: per omne tempus, quo hæ observationes instituebantur, calor obtinuit, qui infra septuagesimum gradum Thermo-metri FAHRENHEITIANI nunquam descendit, octuagesimum nunquam excessit.

Secundo jamjam die sanguis foetuit, quarto ad summum ascendit foetor, septimo imminui coepit, decimo sexto totus dispares, sanguinis principia quæ volatilia redi possunt, omnia jam ablata esse ostendit.

Tertio jam die tam is qui infusum Quassiae habuit, quam is cui pulvis Quassiae adjectus fuit, male oluit, decimo septimo die is cui infusum Quassiae affusum fuit,

fuit, decimo pulvere mixtus ad summum fœtorem pervenere.

Quarto die is qui cum infuso corticis Chinæ mixtus erat, cuticula tectus occurrebat, qui autem pulverem Chinæ habuit, proprio qui ad illum quo gummata ferulacea gaudent odore accedebat corruptionis incipientis indicia stitit; nono die ille, septimo hic mucore tegi cœpit, neuter unquam putridum emisit odorem.

Caro secundo die acidum spiravit, tertio putredinem olere, octavo in tabum diffluere & maxime fœtere cœpit.

Tertio die ea, quæ infusum Quassia & Chinæ habebant, acidum oluerunt, & quidem hæc evidentius quam illa, eodem die ea, quæ Quassiam & Corticem in substantia continebant fœtoris indicia, & illa præ hac evidenter dederunt, quarto die mucor carnem quæ infusum Quassia, nec non illas quæ Chinam tam infusam quam pulverisatam habuerunt, texit, ea cui Chinæ infusum junctum fuit, acidulum adhuc, illa cum infuso Quassia putridum, quæ autem pulverem Chinæ habuit mucidum odo-
rem

rem naribus stitit; nono demum die putredinis indica dedit, decimo sexto pessimam mephitim exhalare cœpit.

Quinto jam die caro cum īfuso Quassiae pessime oluit, duodecimo in tabum diffluxit, æque ac ea quæ infusum Chinæ habuit, undecimo maximus fœtor in illa surrexit cui pulvis Quassiae erat adjectus.

Lac quod secundo die sponte cogebatur, eadem ratione sese gessit, tam pulveri Quassiae quam illi corticis Chinæ permīssum; spontaneum neutiquam, id quod Quassiam habuit minus, quam id, quod pulverem Chinæ receperat, acidum spiravit; infusa tam Quassiae quam Corticis secundo jam die lactis partes a se mutuo secedere coegerunt; tertio die mixturæ quæ infusum Quassiae & pulverem Corticis habuerunt, nullo ulterius acido nares stringebant; quarto tam lac sincerum, quam utrumque quod Quassiam vel Chinam acceperat, mucore tegebantur, nono id quod infusum Chinæ habuit mucorem contraxit; proprius erat, quem quinto die lac cum īfuso Quassiae induerat odor, is aloen multum referebat;

ferebat; octavo die lac, duodecimo id quod infusum Chinæ habuit, decimo tertio id, cui infusum Quassia adjectum fuit caseum redoluerunt; decimo tertio die lac, decimo nono id quod pulverem Quassia habuit putridum olere cœperunt, vigesimo quarto id cui infusum Quassia erat junctum, trigesimo tertio id quod pulverem Chinæ receperat; id cui infusum Chinæ erat adjectum vigesimo octavo die mucum recepit & hunc semper, nunquam putridum redoluit usque ad quadragesimum sextum diem, quo præter parum terræ quod remansit, omne in auras abierat.

Oleum Olivarum sexto die, æque ac id, cui pulvis Chinæ adjunctus erat rancidum cœpit olere, decimo tertio hic odor obtinuit in illo, quod pulverem Quassia habuit, vigesimo quarto in eo cui infusum Quassia adjectum fuit, vigesimo sexto hic odor etiam obtinuit circa oleum, quod infusum Chinæ receperat, sed id in universum fuit observatum, rancorem olei quod Chinam habuit, illo quod Quassiam receperat fuisse minorem.

Axungia demum vigesimo die cœpit rancida
E evadere

evadere, æque ac ea cum pulvere Chinæ & quæ pulverem Quassia habuit; illa cum infuso Quassia vigesimo quarto, illa cum infuso Chinæ sexto jam die mucum recepit, nunquam per duos integros menses evasit rancida; id autem observavimus, quod rancor, qui in mixtura cum pulvere Chinæ surrexit, evidenter minor fuerit quam is, qui in Axungia cum Quassia mixta obtinuerat; nec id reticendum esse ducimus, quod quadragesimo die omne infusum Quassia Axungiæ adjectum fuerit exsiccatum, cum & quinquagesimo sexto die de infuso Chinæ evidens portio adhuc fuerit superstes.

Vinum quarto die cuticula tegebatur & acidum spirabat, sexto evidentia novæ fermentationis signa dedit, dum flocculi albi per illud ferebantur. Mixturæ quæ infusum Quassia & pulverem Chinæ haberunt, eadem plane ratione se gesserunt, quinto die aceti odor observabatur in vino, quod pulvrem Quassia receperat & sexto in illo cui infusum Chinæ erat adiectum, illud duodecimo, hoc decimo quarto die flocculos albos exhibuit. Vinum per se, id quod infusum Quassia pulvremque Chinæ habuit

habuit vigesimo , decimo septimo id cui infusum Chinæ commixtum erat , & trigesimo secundo de-
mum id cui pulvis Quassia adjectus fuit in Vappam abiit.

Evidens igitur est ex his experimentis , Quassiam omnino corruptionem tam vegetabilem quam ani-
malem arcere , sed hanc ejus vim antisepticam illa Corticis Chinæ omnino esse inferiorem in moranda putredine animali ; eo quoque , quod infusum Chinæ præ ejus pulvere in hac virtute magis eminere vi-
deamus & id secus obtineat circa Quassiam , novum surgit argumentum , quod Cortex Chinæ , Quassia in morbis putridis sit anteponendus , cum utrumque medicamentum non in substantia sanguinem possit subire , sed illa modo eorum principia , quæ a men-
struis chylopoieticis , aquosis , ut nemo ignorat , pos-
funt inde recipi .

§. XIV.

*QUASSIA RESPECTU VIS FEBRIFUGÆ INFE-
RIOR CHINÆ EST.*

Consideravimus Quassiam tamquam remedium amarum ; ejus virtutem roborantem , tonicam , re-
solventem , anthelminticam , antiputridam perpen-
dimus ,

dimus, quæritur nunc, num propria quadam & characteristica qualitate gaudeat, per gustum non detegenda & diversa ab eis, quæ omnibus amaris communes sunt.

Specifice febres intermittentes curare ajunt præente *Cel. LINNÆO* (a) omnes fere, qui huc usque de Quassia scripsere, autores *Clar. SCHLEGER, SCHRADER, GESNER, &c.* cum vero eis contradicant *Cel. TISSOTI* aliorumque haud minoris nominis virorum observata, inter quæ & illa, quæ in hac Civitate repetitis vicibus instituta sunt referre decet, quid nobis hac de re videatur, id qualemque sit, apponemus.

Configisse Medicos pro curandis febribus intermittentibus ad amara tanquam ad firmissimam anchoram, antequam Chinæ usus innotuit, notum est inter omnes. Aloen amarissimam opposuit huic morbo *GALENUS* (b) & vix excitari amarum poterit, quod non ad has febrium species fuerit adhibitum, licet non semper cum eodem felici eventu. Ita ut *LINNAEUS* (c) de amarorum qualitatibus verba injiciens, de eis referat, quod sint quodammodo Chinæ

(a) *I. c. p. 427.*

(b) *de Comp. Med. sec. loca L. VIII. Cap. II.*

(c) *Amœn. Acad. T. II. p. 383.*

Chinæ Corticis succedanea & Cel. KNIPHOFF & VOGT (*d*) scribentes de succedaneis Corticis Peruviani non fere nisi amara recensent. Nec id mirabitur qui veterum mentem de febrium intermittentium caussa proxima habet perspectam. Cum enim GALENUS (*e*) vitiatam bilem ream ageret febris tertianæ & humorem atrabiliarum febris quartanæ (*f*) ; cum FERNELIUS (*g*) & HELMONTIUS (*h*) circa stomachum , pancreas & duodenum intermittentium nidum posuerint ; cum alii (*i*) in glandulis abdominalibus earum sedem quæsiverint, non miramur , inquam , eos ab amaris auxilium petuisse , de quibus demonstravimus, quod jamjam veteres sciverint expurgare meatus , extergere , attenuare & secare crassos humores , & hinc obstructionibus aperiendis esse dicata. Hodie in subtilissimo fluido nerveo vitiato, autore BORELLO (*k*) cum omnis Medicorum corona ponat caussam intermittentium , ad unicum divinum corticem Peruvianum configuiunt , idque eo

E 3

luben-

(*d*) Erfordii 1747.(*e*) de Hippocr. & Plat. decret. L. VIII. Cap. VI. &c.(*f*) de Crisibus Libr. II. Cap. III. &c.(*g*) de Febribus Libr. IV. Cap. X. p. 305.(*h*) de Februb. C. 3. N. 18. p. 748.(*i*) Conf. v. SWIETEN Comm. T. II. §. 757. p. 533.(*k*) de motu Anim. Part. 2. Cap. 22. Prop. 225. p. 289. &c.

Iubentius, cum quæcunque de ejus noxis fuerint allata,
 & quotidiana experientia & doctissimis BADI (*l*),
 STURMII (*m*), MORTONI (*n*) omniumque fere san-
 norum practicorum scriptis efficacissime fuerint pro-
 fligata.

Quæritur ergo, quomodo curèt Cortex Peruvianus febres intermittentes? Nonne eodem modo, immo efficacius id efficit Quassia? Proximam intermittentium sedem hærere in encephalo, docent prima ingruentis paroxysmi phœnomena; docent convulsiones, quibus paroxysmi tempore solent affligi mobilissimi generis nervosi infantes; docent animi affectus, qui soli sufficiunt ad excitandas febres; docent paralyses, epilepsiae, morbi systematis nervosi per febres sanati felicissime; docent curæ febrium per inunctionem spinæ dorsi ope unguentorum aromaticorum; docet febris illa species, quæ non invadit cum rigore & horrore, sed cum iüs symptomatibus, quæ apoplexiā comitari solent, & plura alia quæ hic referre nimis esset longum. Sed agere, licet modo nobis ignoto corticem Peruvianum in
 systema

(*l*) *Anastas. Cort. Peruv. Lond.* 1663. Cap. 20.

(*m*) *Cortic. Chinæ Descript. Hag.* 1681.

(*n*) *Pyretol. Exerc. I. C. 7. p. 45. sq.*

systema nervosum, demonstrat insignis ejus usus in periodico morbo quocunque; insignis ejus effectus in roborando systemate nerveo; insignis ejus virtus in compescendo spirituum motu; insignis successus in hystericis hypochondriacisque malis, teste SYDENHAMO (o).

At nunc si quæris, anno eodem modo agat Quassia; id asseverare nulli auderemus; nihil tale concludere nobis saltem contigit ex omnibus observatis, quæ omni studio & collegimus & comparavimus, hinc omni seposito autoritatis præjudicio, ne conferendam, minus adhuc præferendam Cortici Peruviano Quassiam esse, asserere audemus. Febres tamen intermittentes curasse aiunt haud ambiguæ fidei autores. Id nec nos negamus, sed habet hoc Quassia cum Gentiana, Chamomilla, Carduo Benedicto, Absynthio, Hyssopo multisque aliis aperientibus & attenuantibus commune, nam & nobis hæc videtur cum Ill. VAN SWIETEN (p) generalis curandi febres methodus, ut major fiat solutio humorum, ut blandis stimulis aromaticis, motu, frictionibus augeatur humorum per vasa circulus & sic omnia expediantur corporis emissaria, quo liberius possint exire illa, quæ per febrim ipsam subacta, variis viis expelli solent; nec inficias imus, vitia in systemate Venæ Portarum hærentia creberrime somitem præbere, quo febris &

accen-

(o) *Dissert. Epist.* p. 519.

(p) *Comm. in Boerh.* T. II. §. 758. p. 544.

accenditur & sustentatur, & in tali casu sunt omnia amara, ita & Quassia non sine successu adhibebitur.

§. XV.

ADHIBENDI FORMA.

Quassiam adhibendi formam quod attinet, ea in remedio quod a sola amaritie dijudicari debet, non adeo arctis limitibus inscribenda videtur testibus iamiam ante nos *Ill. LINNÆO* (*q*), *SCHRADERO* (*r*), *GESNERO* (*s*), aliisque.

Varium posse esse modum dicit loco citato *LINNÆUS* idque minus nos miramur, qui & gummosas partes amaras id est efficaces experti nostra analysi sumus.

QUASSI Tincturam spirituosam dedit Surinamensibus; Europæi, qui calidis remediis rarius utuntur, *LINNÆI* vestigia prementes infusa aquosa præscribunt & ad drachmam unam Ligni, libram unam aquæ sumunt, id in digestione per horulam relinquunt & aliquoties de die unciam unam exhibent. Quibus vinum vel in deliciis est, vel qui tonicam ejus virtutem augere desiderant, hoc lignum cum eo digerunt. Compendium certe facere possit & amarissimum & succis nostris solubile aquosum extractum vel sub forma pulveris vel illa pillularum exhibendum.

(*q*) *Amanit. Acad.* T. VI. p. 427.

(*r*) *Berlin. Samml.* T. II. p. 176. & 177.

(*s*) *loco citato.*

Straßburg, Med. Diss., 18

ULB Halle
008 564 809

3



KDIP



LIGNI QUASSIÆ

EXAMEN

10

PRO LICENTIA

GRADUM, HONORES ATQUE PRIVILEGIA

DOCTOR

R.

SOLEMN

D. XXVI.

PETRUS M.

ARGENTORAT

